



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres

Commire, Jean

Lutetiæ Parisiorum, 1678

Magnes ferrea corda trahens.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14818

Hercule tu melior Ditis cohibere furores ;
 Et Stygio prædas eripuisse cani.
 Ille unum summis adnitens abstulit orco
 Viribus : at lucis non mora longa fuit.
 Vox tibi pro clava est : animas his asseris armis :
 Et quam restituis , funere vita caret.

Lampas in tenebris.

UT caligantes rutila face dissipat umbras ,
 Et cæca victrix lampas in æde micat.
 Sic vitæ in tenebris & opaca nocte coruscans ,
 Ipse vides , & nos cuncta videre facis.
 Semestris jam non stupeo miracula lucis ,
 Quam polus alterna sentit uterque vice.
 Id potius miror ; tanta in caligine rerum ,
 Posse tibi plenam semper adesse diem.

Magnes ferrea corda trahens.

UNDE novæ chalybem tollunt per inania pennæ?
 Forte suas illi commodat ales amor.
 Occultoque igni pretiosa incendia miscens ,
 Mollito facilem tollit in alta gelu.
 Ferrea corda sui saliunt oblita rigoris ,
 Et posito sursum pondere rapta volant :
 Frigidus ille licet , tamen hos si suscitât ignes ,
 Et chalybem magnes victor amore domat ;
 Illecebris cur nostra tuis parere morantur
 Pectora ? vis ferro durior illa premit.